



Disputatio physica decima continens quaestiones de mineralibus in specie

<https://hdl.handle.net/1874/340896>

D I S P U T A T I O P H Y S I C A
D E C I M A

Continens Quæstiones

^{D E}

M I N E R A L I B U S
I N S P E C T I O N E

Q U A M

Favente Deo Opt. Max.

S U B P R A E S I D I O

Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. M. ARNOLDI SENGVERDII,

In Illustri Ultrajectinâ Academiâ Philosophicâ

Professoris Primarii, ac p. t. Rectoris Magnifici.

Publicè defendere conabitur

P E T R U S ab E Y N D H O V E N U L T A J E C T.

Ad diem 29. Martij horis loco & soitis.



Naturæ & Industriæ.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,

A p u d P E T R U M D A N I E L I S S L O O T ,

A N N O M . D C . X L V .

Honestissimo Civi

PETRO AB EYNDHOVEN
Patri suo , filiali honore
atque amore æternum
quo decet prosequen-
do.

*Hasce de Mineralibus Theses in grati-
animi τεκμήσεων,*

Offert & inscribit

P. AB EYNDHOVEN,

Respond.

D I S P U T A T I O P H Y S I C A
D E C I M A
Continens Quæstiones
DE
M I N E R A L I B U S
I N S P E C T I O

T H E S I S . I.

An usu virgulae vena metallica possit inveniri?

Ena metallica est canalis, vas vel receptaculum, materiae ex qua metallum producitur. Tales venæ quandoque casu aliquo sine hominij industria nudatae corio se ostendant; quandoque latentes arte inquiruntur. Sine hominis industria vis aliqua diversis modis venas aperit, quos fusius proponit.

Georg. Agricola lib. 1. de Veter. & Novis Metallicis cap. 12. & lib. 2. de re Metallica. ex ipso Bern. Casius lib. 1. de Miner. cap. 7. sect. 3. nos brevius illos enarreremus. Venas igitur cuncte nudat torrens; vis ventorum radicitus extrahens arbores que supra venas creverunt; aut abruptio saxi è monte, hoc abrupdit vel diuturnus imber vel terræ motus, vel ictus fulminis, vel violenta rivis devolutio, vel ventus: præterea venam aperuit aliquando aratio, etiam sylvarum incendium, etiam equus ungula dicitur venam aperuisse. Industria humana ut venæ inveniantur, hæc observanda monent: Scaturigines fontium. Fragmenta venarum, que torrens ex terra eruit. Situs, qui in causa est; quod & venæ magis aut minus terra obruantur, & fragmenta longe aut minus longe protrudantur. Pruinæ, quibus omnes herbae candicant, exceptis iis que crescunt supra venas. Arbores, quorum folia tempore veris subcærulea vel livida sunt, rami imprimis superiores infecti nigrore, aut alio colore non naturali. Montium sterilitas,

itas. Aquarum ex monte effluentium odor vel color alienus; Montium rimæ, indicantes acres metallicorum halitus.

II.

Quorundam opinio est, etiam virgulæ cujusdam beneficio venas metallicas inveniri posse. In hujus sententia veritatem non jam inquirimus. Ut vero quæstio ipsa melius intelligatur, cognoscatur qualis illa sit virgula, quis modus illa utendi, visum fuit ea omnia proponere verbis *Georg. Agric.* qui sic ait lib. 2. *De Re Metallica*. Qui tractationem et usum virgulæ probant, eorum alii primo furcam cultro ressecant columnam: quam præ cæteris ad venas querendas idoneam esse censem; præfertim si corylus supra venam aliquam creverit: alii pro varietate metalli diversis virgalis ad venas inquirendas utuntur: etenim coryli virgulas adhibent ad venas argenti: fraxini ad æris: piceastri ad plumbi, maxime candidi: ex ferro vel acie ferri factas, ad auri: deinde utrique virgulæ cornua manibus prehendentes pugnos faciunt: necesse autem est ut digitii compresi ad cœlum spœcent, utque virgula erigatur ea parte, qua cornua coëunt, tum huc & illuc passim per locos montos vagantur: itaque dicunt simul atque supra venam pedem posuerint, statim virgulam versari & volvi, sibique prodere venam: ubi pedem retulerint, & ab ea discesserint, rursum virgulam immobilem manere. Verum, ut ipsi asserunt, causa motionis virgulæ est vis venarum: caue interdum tanta est, ut arborum, prope venas crescentium, ramos, ad se fleetat.

III.

Quinque porro requiruntur ab iis qui usum virgulæ probant, ut ea officium suum præstet. Primo virgulæ quantitas: quia vis venarum baculum nimis magnum volvere nequit. Secundo figura virgulæ. Tertio, vis venarum, quæ naturam volvendi habet. Quarto, virgulæ tractatio, ut qui illam tractat digitos leniter non stingat, nec acriter comprimat: si enim leniter tractetur, inquiunt, decidet antequam vis venarum eam vertes; si acriter, constringatur, vis mannum vi venarum resistet eamque superabit.

bit. Quinto, privatio occultæ qualitatis; volunt enim aliquando singularem quandam proprietatem vel qualitatem occultam dari in eo, qui virgulam tractat, quæ vim venarum impedit atque alliget.

I V.

Nos per propriam experientiam, quam in Physici desiderare soleo, de virgulæ hujus usū judicare non possumus, sed tantum ex relatu (non tamen eorum qui usum virgulæ tentarunt) & lectione autorum. Quantum vero secundum rationis usum judicare possumus, haec tenus non videtur usus ille virgulæ probandus. Agricola putat, virgulam illam ex impuris fontibus incantatorum in metallæ defluxisse. Varia hic ocurrunt quæ hominum imposturas argunt, varia cum naturalibus corporum operationibus non videntur convenire. Suspectum illud est, quod callidi tractatores virgulam requirant facile flexibilem; & sic illam teneant, ut facile in quovis loco verti possit: unde fieri potest, quod vena aliqua vel casu vel aliis indiciis inventa, vel quam antea noverant in illo loco dari, ut aliis fidem faciant, virgulam moveant. Si vero contingat usu virgulæ non inveniri venam, multa satis effugia habent. Non tantum respondebunt, non dari ibi venam; sed etiam si detur non inveniri, quia tractator digitos leniter stringit, vel nimis acriter comprimit, vel etiam in eo qui experientiam sumere vult, dari qualitatem quandam occultam seu antipathiam, quod effugium perpetuum esse potest. Præterea, si usu virgulæ, facilis negotio venæ metallicæ invenirentur, tales homines minus fatigarentur in fossis agendis quam alijs, contra quam de iis Agricola judicat qui inquit, *idem multo sapius perdunt operam, & ut venas invenire possint, nihilominus in fossis agendis defatigantur, quam adversa partis metallici.*

V.

Non videntur hæc quoq; modo agendi corporū naturaliū satis consentanea. Si enim à vi venarum motus virgulæ contingereret, æque à venis traheretur baculus rectus quam furcatus: præterea, tu

recta ad venam traheretur virgula, non vero in orbem volvere-
tur; videmus enim corpora trahendi vi prædita, alia recta ad se
allucere, non vero volvere, ita magnes ad te ferrum trahit non ve-
ro illud convolvit & torquet, neque ullum corpus naturale ha-
bitenus nobis innotuit, quod loco tractionis alia versaret & in or-
bem moveret. Tandem si à vi venarum hoc contingere, faci-
lius traheretur virga quæ versus terram in manibus tractantis te-
neretur, quam quæ attolleretur, ut pote causæ trahenti propin-
quior. Quod dicunt, vim venarum aliquando tantam esse ut ar-
borum prope venas crescentium ramos ad se fleat; hoc non ita
fieri videtur, ut illi volunt, sed potius rami arborum contorquen-
tur ab exhalationibus quæ in iis locis dantur.

V I.

An Crystallus sit glacies seu aqua vehementiore gelu concreta?

Nomine crystalli gemmam intelligimus seu lapidem pretiosum.
De hujus ortu duæ celebres admodum diversæ occurunt opinio-
nes. Una assertit, crystallum esse nivem aut aqueam glaciem di-
turno gelu concretam & solidatam. Altera illi opposita tenet,
crystallum nec glacie nec nive fieri, sed puriore & nobiliore quo-
dam humore constare, & simili modo in terræ visceribus gene-
rari, quo in illis diversi alii pretiosi lapides producuntur. Posterior
nobis magis arridet, ob has rationes. Primo, si crystallus nihil
aliud esset quam aqua intensissimo frigore concreta & conglacia-
ta, copiosissime reperiretur in frigidissimis regionibus, non item
in calidis, hoc vero non ita esse ex Matthiol. in lib. 5. Dioscor. cap.
116. constat, ubi docet crystallum reperiiri etiam in marmorum,
aliorum lapidum, & metallorum fodinis, in Hispania, Germania,
Scythia Cypri, Carmania, & in Neroni, & Chiti rubri maris insulis,
quin & in agris, ubi seges seritur, ubi aratro sapius magnas crystallæ
glebas federe bubulci. Secundo, si crystallus nihil aliud foret quam
aqua conglaciata, calore solis vel aliotum corporum calefacien-
tiuum facile liqueficeret, e modo quo glaciem, nivem, grandi-
nem liquefici experimur. Tertio, quoniam glacies eandem fere
gravitatem vel levitatem cum aqua obtinet, eaque de causa aquis
innatat,

innat, quod in crystallo non contingit, fieri vero deberet, si
crystallus foret aqua conglaciata.

VII.

Qui oppositam opinionem sequuntur, primo argumentum
sumunt ex ipsa voce: quia vox Crystalli Græca est, vox vero Græ-
ca κρύσταλλος. Latine vertitur, glacies, gelu, videturque vox κρύ-
σταλλος derivari à voce κρύος vel κρύψις quæ voces frigus, algo-
rem notant & στέλλω contraho, ut sit τὸ κρύον τὸ κρύπτειν νο-
ῦδας, aqua quæ frigore concrescit: Verum hæc ratio non vide-
tur nobiscerto probare; quia argumenta ex nomine deducta sæ-
pe parum roboris habent. Potest fieri, quod gemma hæc no-
men habeat frigore, quia primus hujus nominis inventor forte
cum aliis putavit eo modo crystallum oriri. Potest etiam fieri,
quod nomen hoc huic gemmæ impositum sit, propter similitudi-
nem quam habet cum aqua conglaciata cuius speciem refert, licet
revera aliquid aliud sit. Quicquid sit apparet hoc argumentum
non erto concludere.

VIII.

Secundo ad ostendendum crystallum ex glacie fieri, hoc pro-
fertur; quia non alibi reperitur quam ubi hybernæ nives rigent,
& ex præaltis & frigidissimis rupibus evellitur & prominet.
Resp. Ex dictis ex Matthiolo constat in locis satis calidis inveni-
ti: quare hoc falsum videtur. Si è montibus promineat quando-
que crystallus hoc non arguit ex glacie illam esse concretam ex
guttulis forte inter cadendum conglaciatis; cum multo probabi-
lior illius rei ratio sit videatur, quam Cardanus lib. 7. de subtil.
expressit his verbis. *Quod inquit promineat è summis montium ca-
cuminibus, non ob id contingit, quod ita genitum sit, aut quod glacies
unquam fuerit: sed quoniam terra & lapides molliores imbris, ren-
tis & nive liquefacta defluunt, & saxum nudatur: quamobrem cry-
stallus, qui inter lapides, ac sub terra genitus est, quomodounque ha-
reat, pendere videtur*

IX.

An uniones sint partus concharum ex cœlesti rore nati?

Unionis nomine gemmam intelligimus, quæ alias margarita
dicitur, aliquando margaritus. Cur hæc gemma Unionis no-
men

men sortiatur, duplex occurrit opinio. Una, quia nunquam
duo simul vel plures in eadem concha reperiuntur, sed unus so-
lum. Hanc etymologiam rejiciunt varii, quia experientia saepe
docet, plures uniones simul in eadem concha reperiri. Hac ergo
notatione rejecta, diversi scriptores putant, unionem ab uno di-
ci, quia nulli duo indiscreti reperiuntur, seu plane similes, sed
quod semper differant vel magnitudine, vel colore, vel figura, vel
alio quodam discrimine. Quod an verum sit, cuiuslibet inquiren-
tis judicio relinquo; si falsum sit, potest dici uniones ab uno dici,
quia raro indiscreti vel plane similes inveniuntur. Verum in
nomine non adeo multum situm est, ad rei considerationem
progrediamur. X.

Quorundam igitur opinio fuit, conchas certo anni tempore oscita-
tione quadam se pandentes pra luxuria, rorem cœlestem velut mari-
tum fitre, ex illo concipere, gravidas fieri, partumque earum mar-
garitas esse. Quarimns de veritate hujus sententia. Nobis ea non
videtur approbanda. Primo, quia à viris versatissimis refertur, con-
chas altius mari immersi duodecim orgyis, sive ulnis. Quod si sit, sen-
tentia ea non habet probabilitatem, quia ros vel roscidus aer, ex quo
conchæ conciperent, non penetrat ad tantam profunditatem. Secun-
do, quia conchæ quæ in profundo mari degunt, producent margari-
tas majores, quam producent illæ quæ in maris superficie inveniuntur:
hoc non fieret si ex rore cœlesti conciperent, sed contra potius majo-
res producerentur ab iis quæ degunt in maris superficie, utpote quæ
rori propiores eum copiosius imbiberent. Tertio, quæ silicea testa teg-
guntur procreare non solent: quod cum in aliis verum sit, & hic non
apparet ratio diversitatis, non est probabile, conchas, margaritas ut
partus suos edere. Quarto, in procreatione & partu certum à certo &
determinato productur, non vero idem partus à specie diversis edi-
solet, margaritæ vero seu uniones à conchis specie distinctis produ-
cuntur. XI.

Querat aliquis, quis ergo verus sit modus quo uniones producuntur?
Resp. Non improbabilis videtur *Gulielmi Rondeletii* sententia, qui
lib. 1. de *Testac.* cap. 51. statuit, in carne ostrei unionem gigni eo mo-
do quo grandio gignitur in carne suum. Materiam unionem ponit hu-
morem crassum, viscosum, purum tamen, nec luto aut fordibus exter-
nis infectum, qui vel alimenti convenientis redundantia est vel excre-
mentorum. Interim, ut alii lapides ex lapidescente seu lapideo succo
judicamus generari, ita etiam matetiam unionem non putamus purum
purum humorem esse, sed talem potius cui similiter succus lapidescens
admissus est. F I N I S,